Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Liber Regum: prologus

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

emam. Cui dixit booz. Quando emeris
agrum de manu mulieris ruth
que moabitidem que uxor defuncti
fuit debes accipere. ut suscites nomen
propinqui tui in hereditate sua. Qui
respondit. Cedo iure propinquitatis neque
enim posteritatem familie mee delere
debeo. Tu meo utere privilegio quo
me libenter carere profiteor. Hic autem
erat mos antiquitus in israel inter pro-
pinquos ut si quando alter alteri suo iure
cedebat. ut esset firma concessio. solue-
bat homo calciamentum suum et dabat
propinquo suo. Hoc erat testimonium
cessionis in israel. Dixit ergo propinquus
booz. Tolle calciamentum. Quod statim
solvit de pede suo. At ille maioribus
natu et universo populo ait. Testes vos
estis hodie quod possederim omnia
que fuerunt elimelech et chelion
et maalon tradente noemi. et ruth
moabitidem uxorem maalon in coniu-
gium sumpserim. ut suscitem nomen
defuncti in hereditate sua. ne voca-
bulum eius de familia sua ac fratribus
et populo deleatur. Vos inquam huius rei
testes estis. Respondit omnis populus
qui erat in porta et maiores natu.
Nos testes sumus. Faciat dominus hanc
mulierem que ingreditur domum tuam sic-
ut rachel et liam que edificaverunt domum
israel. ut sit exemplum virtutis in effra-
ta et habeat celebre nomen in bethleem.
Fiatque domus tua sicut domus phares
quem thamar peperit iude de semine
quod dederit tibi dominus ex hac puella. Tulit
itaque booz ruth. et accepit uxorem. In-
gressusque est ad eam. et dedit illi dominus

ut conciperet. et pareret filium. Dixeruntque
mulieres ad neomi. Benedictus dominus
qui non est passus ut deficeret successor
familie tue. et vocaretur nomen eius
in israel. et habeas qui consoletur animam tu-
am. et enutriat senectutem. De nuru enim
tua natus est qui te diliget. et multo
tibi est melior quam si vii. haberes filios.
Susceptumque neomi puerum posuit
in sinu suo. et nutricis ac gerule officio
fungebatur. Vicine autem mulieres
congratulabantur ei dicentes. Natus est
filius neomi. vocaveruntque nomen eius
obed. Hic est pater ysai patris david.
Hee sunt generationes phares. Phares
genuit esrom. Esrom genuit aram.
aram genuit aminadab. Amina-
dab genuit naason. Naason genuit sal-
mon. Salmon genuit booz. booz genuit
obed. Obed genuit ysai. ysai genuit
david. Explicit liber Ruth. Incipit prologus
Viginti[1] et duas litteras apud [in libro Regum]
hebreos syrorum quoque
et chaldeorum lingua
testatur que hebree
magna ex parte confinis est. Nam et
ipsi xxii. elementa habent. eodem sono
sed diversis caracteribus. Samarita-
ni etiam pentateucum moysi totidem
litteris scriptitant. figuris tantum et apicibus
discrepantes. Certumque est esdram scri-
bam legis que doctorem. post captam
ierusalem et instaurationem templi sub
zorobabel alias litteras repperisse quibus
nunc utimur. cum ad illud usque tempus
idem samaritanorum et hebreorum ca-
racteres fuerint. In libro quoque numerorum

[1] The rubric "Incipit prologus in libro Regum" runs over two lines in red, the second part ("leg. [in] lib. i. Reg.") written after "Igitur"; the opening word (probably "Viginti") begins with a large decorated initial.

h eadem supputatio sub leuitarum ac sa
cerdotum censu mystice ostenditur
In nomine dni tetragramaton in quibusdam
grecis uoluminibus usque hodie antiquis
expressum litteris inuenimus. Sed et psal
mi xxx. sextus et centesimus x. et cente
simus xi. et centesimus xviii. et centesimus
xliiii. quamquam diuerso scribantur metro
tamen eiusdem numeri texuntur alfabeto. Et
iheremie lamentationes et oratio eius. Sa
lomonis quoque in fine prouerbia. ab eo loco
in quo ait. mulierem fortem quis inueniet
isdem alfabetis uel incisionibus sup
putantur. Porro v. littere duplices apud
hebreos sunt. kaph. mem. nun. phe.
sade. Aliter enim scribunt per has prin
cipia medietatesque uerborum. aliter fines.
Unde et v. a plerisque libri duplices esti
mantur. samuhel. malachim. dabre
iamin. esdras. ieremias cum cinoth. id est
lamentationibus suis. Quomodo igitur xxii.
elementa sunt per que scribimus hebraice
omne quod loquimur. et eorum initiis uox
humana comprehenditur. ita xxii. uolu
mina supputantur. quibus quasi litteris et
exordiis in dei doctrina tenera adhuc
et lactens uiri iusti eruditur infantia.
Primus apud eos liber uocatur bresith. quem
nos genesim dicimus. Secundus hellesmoth.
qui exodus appellatur. Tercius va
gecra. id est leuiticus. Quartus uagedaber.
quem numeros uocamus. Quintus elladaba
rim. qui deuteronomium prenota
tur. Hii sunt v. libri moysi. quos proprie
thorath. id est legem appellant. Secundum
ordinem prophetarum faciunt. et incipiunt
ab ihesu filio naue. qui apud eos iosu
e bennun dicitur. Deinde subtexunt sophtim

id est iudicum librum. et in eundem compingunt
ruth. quia in diebus iudicum facta nar
ratur hystoria. Tertius samuel sequitur.
quem nos regnorum primum et secundum
dicimus. Quartus malachim. id est regum. qui
tercio et quarto regnorum uolumine con
tinetur. Meliusque multo est malachim
id est regum. quam malachoth. id est regnorum
dicere. Non enim multarum gentium regna
describit. sed unius israhelitici populi qui tri
bubus xii. continetur. Quintus est ysai
as. Sextus iheremias. Septimus ezechi
el. Octauus liber xii. prophetarum. qui apud
illos uocatur thareasra. Tercius ordo
agiographa possidet. Et primus
liber incipit a iob. Secundus a dauid.
quem quinque incisionibus et uno psal
morum uolumine comprehendunt. Tercius
est salomon. tres libros habens. prouerbia
que illi parabolas. id est masloth appel
lant. Quartus ecclesiastes. id est coeleth.
Quintus est canticum canticorum. quem titu
lo sirasirim prenotant. Sextus est da
niel. Septimus dabreiamin. id est uerba
dierum. quod significantius chronicon
totius diuine hystorie possumus ap
pellare. Qui liber apud nos paralipo
menon primus et secundus inscribitur. Octa
uus esdras. qui et ipse similiter apud grecos
et apud latinos in duos libros diui
sus est. Nonus hester. Atque ita fiunt
pariter ueteris legis libri xxii. id est moy
si v. prophetarum viii. agyographorum ix.
Quamquam nonnulli ruth. et cinoth. inter
agiographa scriptitent. et libros hos
in suo putent numero supputandos.
ac per hoc esse prisce legis libros xxiiii.
quos sub numero xxiiii. seniorum apoca

lypsis iohannis inducit adorantes
agnum et coronas suas prostratis uul-
tibus offerentes, stantibus coram iiii
animalibus oculatis retro et ante, id est in
preteritum et in futurum respicientibus, et
indefessa uoce clamantibus: Sanctus, sanctus,
sanctus dominus deus omnipotens, qui erat et qui est et
qui uenturus est. Hic prologus scripturarum
quasi galeatum principium omnibus libris
quos de hebreo uertimus in latinum conue-
nire potest, ut scire ualeamus quicquid ex-
tra hos est, inter apocrypha esse ponendum.
Igitur sapientia que uulgo salomonis
inscribitur, et iesu filii sirach liber, et
iudith et thobias et pastor non sunt in
canone. Machabeorum primum librum he-
breum repperi. Secundus grecus est, quod ex
ipsa phrasi probari potest. Que cum
ita se habeant, obsecro te o lector, ne
laborem meum reprehensionem estimes
antiquorum. In tabernaculo domini dei offert
unusquisque quod potest, alii aurum et argentum
et lapides pretiosos, alii byssum et pur-
puram coccumque offerunt et iacinctum.
Nobiscum bene agitur si obtulimus
pelles et caprarum pilos. Et tamen apostolus contemp-
tibiliora nostra magis necessaria iudicat.
Unde et tota illa tabernaculi pulchritudo
et per singulas species ecclesie presentis futu-
reque distinctio pellibus tegitur et ciliciis,
ardoremque solis et iniuriam ymbrium
que uiliora sunt prohibent. Lege ergo pri-
mum samuhel et malachim meum,
meum inquam meum. Quicquid enim crebrius
uertendo et emendando sollicitius et didi-
cimus et tenemus, nostrum est. Et cum
intellexeris quod antea nesciebas, uel
interpretem me estimato si gratus es,
uel paraphrasten si ingratus, quamquam mihi
omnino conscius non sim mutasse me quip-
piam de hebraica ueritate. Certe si incre-
dulus es, lege grecos codices et lati-
nos et confer cum his opusculis. Et
ubicumque inter se uideris discrepa-
re, interroga quemlibet hebreorum cui
magis accommodare debeas fidem.
Et si nostra firmauerit, puto quod eum non
estimes coniectorem, ut in eodem loco
mecum similiter diuinauerit. Sed et uos fa-
mulas christi rogo que domini discumbentis
pretiosissimo fidei myrro ungitis caput,
que nequaquam saluatorem queritis in sepul-
chro, quibus iam ad patrem christus ascendit,
ut contra latrantes canes qui aduersum
me rabido ore deseuiunt et circumeunt
ciuitatem, atque in eo se doctos arbi-
trantur si aliis detrahant, orationum
uestrarum clipeos opponatis. Ego sciens
humilitatem meam, illius semper recorda-
bor sententie: Dixi custodiam uias meas
ut non delinquam in lingua mea. Posui ori
meo custodiam, cum consisteret peccator ad-
uersum me. Obmutui et humiliatus
sum et silui a bonis. Explicit prologus.

Incipit liber Re-
gum primus. I

Fuit uir unus
de ramathaim
sophim de mon-
te effraym, et
nomen eius helchana, filius iero-
ham, filii heliu, filii thau, filii
suph effrateus. Et habuit duas uxo-
res: nomen uni anna, et nomen
secunde fenenna. Fueruntque fenenne
filii, anne autem non erant liberi.